Dmosicki Casimiri: Idea Pontificum aureo liberalitatis pontificiae stylo in D. Nicolao, Episcopo Myrensi, exarata.

borski Nicolaus Ep. Myrensis

borski Nicol. U.J.D. Protonot. Apost.

Dmosicki Casimiri Idea Pontificum aureo libera-
litatis pontificiae stylo in Nicolao Episcopo
Myrensi

IDEA PONTIFICVM.

Aureo Liberalitatis Pontificiæ ſtylo

IN

D. NICOLAO

Epiſcopo Myrenſi

EXARATA.

ET

Ad Genethliaca Feſta,

PERILLVSTRIS & Adm. REVERENDI DOMINI,

D. NICOLAI DE OBORY OBORSKI,

V. I. D. Prothonot. Apoſt. Archidiac. Crac. Cantoris Poſn. &c. &c. S. R. M. Secretarij.

Votiuo plauſu

A M. CASIMIRO DMOSICKI, Philoſophiæ Doctore, Seminarij Crac. Præfecto

EXCITATA.

CRACOVIÆ, Apud Lucam Kupiſz S. R. M. Typ.

Inſigne peruetuſtæ Domûs OBORSCIANÆ.



Faciam illum Columnam in templo DEI mei.
Apocal. 3.

Perillustri & Adm. Rn̄do Dn̄o.

D. NICOLAO
DE OBORY
OBORSKI,

V.I.D. Proth. Apostolico, Archidiacono Cracou. Cantori Posn. &c. &c. S. R. M. Secr.

Domino, & Patrono vnicè obseruando.

AD *publicas gratulantium voces, & è festiua Natalium Tuorum die, Patroni Tui, ac orbis* D. Nicolai *honoribus sacra, hilari voto applandentiũ, meam solam obmutuisse balbutiem, non tam dedecus, quàm peccatum arbitrabar. Tanta enim est beneficiorum Tuorum in me profusorum multitudo, vt illam ceu mutuis officijs reddere non possim, ita tacere sine ingratitudinis periculo pertimescam.* Ideam *verò Tibi* aureo Pontificiæ liberalitatis stylo, *quod dedicem in Tuo Patrono exaratam, opinor non miraberis. Dedico illi, qui hâc ætate, hoc honore, Antistitum gloriæ succedis, breui, Mitras, Tiarasq; eorũ, bono omine prensaturus. Non quod diffitear Te Domi Tuæ Antistites nôsse, quos in normam eius dignitatis recenseas; neque quod putem Tibi temetipsum Ideam non esse perfectionis absolutæ: Numeras quippe vetustissimis catalogis à primæua origine zelosissimos Episcopos, quorum compendium* Illustrissimus Thomas Laodicensis, *Patruus Tuus, Ecclesiæ Pater. Non es Tibi non conscius, quorum sis particeps meritorum, quantæ pietatis ama-*

tor, qui iustitiæ vindex, qui sacrorum promotor, qui Patronus egentium. Non quod inquam nesciam illa, sed quod nouerim Te in vno libentius hæc lecturum Nicolao, *quo Tu promptiùs id concedis Diuo illi, qui ad augustissimos virtutum splendores, plurimum humilitati concessisti, primæ illarum doti, quas à vetustissima Familia hunc vsque in diem conseruâsti. Suscipe vnicum precor hanc quamcunque opellam meam, Ego verò profusissima prece supremum Numen fatigabo, vt ad augustissimos, quos mereris in Ecclesia, Requepub: honores, valetudinem Tibi vegetam adijciat. Viue, & vale incolumis, innumero numero annorum, successuumq; fælicitates hinc aggregaturus, id Tibi enixè vouet*

Tuis obsequijs

dedititssimus

M. Casimirus Dmosicki Philosoph. Doctor,
Semin. Crac. Præfectus.

IDEA PONTIFICVM.

DIlectum cælo, terræq́; Antiſtitem, ſpecioſum æternæ gloriæ ſponſum, admirandum virtutum meritorumq́; prototypon, D. NICOLAVM Epiſcopum Myrenſem, ipſis omnibus virtutibus commendatiorem, ipſis commendationibus ampliorem, elingui meâ balbutie laudaturus, vereor, & non mediocriter exhorreſco, ne id oneris aſſumpſiſſe videar, ſub quo nonniſi ſuccumbere cogar A. A. Illene enim Sanctus, cuius admirabilem vitam felix æternitas contemplatur: ille Sacerdos, qui auguſtiſſimas ſacerdotij dignitates proprio complet honore: ille Patronus, qui ſuis clientibus immortalia in dies confert beneficia: ille Pontifex, qui hunc orbem & pius & diligens exemplis præceptiſq́; formauit: ille tutelaris, qui me dicentem, qui vos audientes recenſet: ille denique D. NICOLAVS, cuius memoriam nulla ætas conticeſcet, nulla ſæculorum contentio pro meritis illuſtrabit: à me laudabitur? Equidem *Vir pollutus labijs ego*, in hac tam multiplici varietate, ne varius & multiplex accuſer, formido. Fortè ergo vnum eligam, ſeu vitæ interſtitium, ſeu ſanctitatis momentum, quod integræ orationi congruam miniſtrabit ſupellectilem? Etiam verò ad quæq́; maxima, maximæ D. NICOLAI virtutes ſingulæ, ſingulares ſunt, etiam illius merita, ſi diuiſim tangantur, congeriem dicendi conſtituunt infinitam. Genus eius, nobile genus eſt, & cui tota Patara, tota Lycia, altrices olim, teſtes hodie non ſufficiant. Natiuitas eius, ſancta natiuitas eſt, & cui quemadmodum eſſe con-

tigit diuinitus impetratæ, ita celebrari nonniſi cælitus contingat neceſſe eſt. Ætas eius tota, ſancta ætas eſt, ad totam vniuerſæ ſanctitatis normam concinnata. Quidſi examinem, ſi ad libellam prout teneor minima recenſeam, ſi ab infantia, ſchola illa Virtutum, ad exitum vſque totius vitæ, ac poſt hunc prodigiorum comparatorum miracula adnitar euagari? ſi deducam, vt ille vix natus, natos de muliere omnes rigido abſtinentiæ cultu antecedebat, quarta & ſexta ferijs ab vberibus nutricis abſtemius, *ex ore infantium & lactentium* perfectæ laudis profecturæ *Infans* athleta: vt cultioribus diſciplinis deditus *Adoleſcens* ad ſcholas vixerit norma ſtudentium, tum potiſſimum bonus, cùm omnes bonos profectu ſuperaret ingenuo, in frugem æterno cælorum œconomo ſuccreſcens ſurculus: vt *Vir ſecundum cor* DEI omnia facta dictaque ad amuſſim perfectæ non ſimulatæ pietatis conuerterit, totos vitæ greſſus ad terminum ſalutis diſponens: vt deniq; *Senex* occubuerit, non diebus, ſed lucris dierum, ſalutis ſpe pleniſſimus, pro amplis in cælum meritis, meritiſſimis cælorum emporijs inueſtiendus candidatus: ſi hæc inquam omnia admirer, imo his in maximis alia multò maiora? quæ mihi tandem vocis non expetenda auxilia, quæ tenuitatis non execrandæ conſcientiæ, quæ temporis non imploranda copiæ, vndiquaque aliàs infirmo, debili, imbecilli? Memini vſitatum aliquibus, vt initio dicendi, quod cæptis, exitum difficiles inueniant, in opem & auxilia Cicerones ab inferis ſuſcitare. Nimirùm ideò, vt illorum fluentis ſua ſuſtentetur oratio, illorum vi confirmetur. At hæc quam aliquibus popularia ſunt, tam mihi inutilia, qui ſcio Diui Nicolai ſanctimoniam, omnem humanam eloquentiam ad incitas propellere, & tum demum abundè ſatis ab omnibus de illa dici, cùm ab omnibus nuſquam ſatis dici poſſe videatur. Ipſi hic inter vberrimos eloquij fontes Iſocrates ſitire, ipſi inter concitatos dictionum impetus Demoſthenes impediri, ipſi Pericles inter profuſas rerum verborumq́ue copias inopiâ premi debent; denique omnis quantumlibet garrula &

facun-

facunda eloquentia conticeſcere, cuicunq; è mellito pectore Diui noſtri pro dignitate locuples oratio non inprecatur. Nec verò mihi alias quam à Te, de Te dicenti, vel ſolatium vel ſubſidium proſpicitur D. Patrone, cui ne vtique mens dicendi acceſſiſſet, niſi Tuis patrocinijs niteretur. Agnoſco imparem me, qui maxima, qui minima (ſi quæ tamen minima vltra magnitudinum gradus maximis vniuerſis?) merita Tui recenſeam. In te confido tamen, quia aliqua Te Dictatore infanti deducam dictione. *Ideam Pontificū, aureo liberalitatis Pontificiæ ſtylo exaratā in Te venerabor.* Nempe faciam, quod illi ſolent, qui vaſtas latiſſimi orbis amplitudines, minutiſſima in tabella notant non pingunt, & vno digito ſtupendam Cyclopum molem, quod alias nequeant, metiuntur. Annue Tu votis ijs quibus comprecor è fæcundo pectore Tuo tenuitati meæ congruam infundi facundiam, deuotæ cultui Tuo cohorti, beneuolæ attentionis ſtudium; Ego iam quod cæpi aggredior.

Præcipuam Pontificiarum virtutum dignitatem liberalitatem eſſe, nemo hucuſque poſt improbos improbauit. Nec enim in qua iuſtior ampliſſimæ laudis ſeges, nec in qua pinguior vaſtiſſimæ commendationis materies eluceſcat, vlla eſt virtus alia, hâc, qua homines in humanitatis poſſeſſione legitima inſtituimur & ſecreti à vulgo, vltra vulgus aliquid ſperare ſpirareque efficimur cultiores. Scilicet, Liberalitas *prima dos Principum* Diocletiano putata, vnicum eſt hominum ornamentum. Hæc imperia beneficijs tutius ac armis fortitudo cuſtodit: hæc ciuium ciuitatumq; honores, benefica barbarorum victrix tuetur; hæc communi mortalium ſocietati officijs beneficiorum neceſſitatem imponit: hæc toti viuentium numero innumeram benè habendi, benè agendi, rationem ſubminiſtrat: hæc vnicuique ſtatui, ætati, conditioni opportuna, vnicuiq; hominum & honeſta, & amica debet eſſe. Quod ſi, dum circumnotanti Bonorum Malorumq; fines Patri Patriæ, eidemq; Eloquentiæ credimus, *Qui liberalitate vtuntur, beneuolentiam*

tiam

tiam sibi conciliant, & (quod aptissimum est ad quietè viuendum) charitatem: Quis tandē nesciat illius è hominū cætu maiorem alicui curam & amorem debere esse Pontificibus? quos ideo Antistites veneramur, vt antestantes religionis, tranquillitatis, quietis publicæ defensores habeamus: quorum vnum munus est, beneficio beneuolentiam plebis lucrari: officijs officia mereri, in pace quieteq; velle omnes florentes ac incolumes, vt denique omnes mutuâ charitate vnanimes, illi qui charitas est DEO, officioso cultu præsentent. Est equidem liberalitas charitatis ministra, vt hæc maior esse non potest, ac beneficijs comparata, ita illa penitùs nequit cogitari, nisi totius amoris, ac dilectionis comitatu stipata. Est ei hoc à natura beneficium, quod mentes hominum flectat vt velit, quo velit; est gratia singularis, quod omnium animos manu teneat, & pro ingenuo arbitratu quo tenetur inducat. Vt verò nihil deterius auro terra nutrit, nempè cui post vltimas vix aliqua de moribus prima ante omnes quæstio est de pecunijs: ita me hercule nihil felicius liberali humeris suis sustinuit vnquam, quem vno suo sinu matrem virtutum omnium charitatem complexum, cæteros omnes excedere dignitate penitus est in confesso. Non quod velim omnes prodigos, profusosq; Episcopos: non quod requiram vltra magnitudinem censuum liberales. Odi æqua nausea luxum & auaritiam, qnin hanc illi è duobus malis vnius minoris elector, præfero non inuitus. Sed quia opto Pontificiam hanc vnam virtutem, virtutem *magnificam & ingentem; nulla quam rapiat dies: Prodesse miseris: supplices fido lare suscipere:* in integro illæsoque conseruari. Deest quippe pietas viris qui afflicto nesciunt pij esse: frustra illi exemplo contendunt, qui scandalo sunt: ordinatum negant Canones Episcopum: *quem non constet esse hospitalem.* Et meritò sanè. Cui enim tam lauta hæc suppellex, cui hæ tam magnificæ fortunæ commodo seruarentur, si non earum vsus esset aliquis? imo si non hic earum vsus esset, quo vsibus egentium subueniri possit? An Ecclesiarum patrimonijs? *At aurum habet Ecclesia non*

vt

vt seruet, sed vt eroget & subueniat in necessitatibus. An Rerumpublicarum dignitatibus? at illæ non vsquam indigniores, ac ad inopiam prolapsis ciuibus, diuites, in pauperiem adactis, locupletes, despectui prostitutis, fastuosæ. An affinium lucris? at hos reditibus Ecclesiæ ditari sine sacrilegio non conuenit, quos Pontificum Gloria *secundum ordinem Melchisedec* initiatus *Sacerdos, non ditandis consanguineis sed sustentandis pauperibus*, auxit, adiecit. Ac si dicendum iam quod interiorem captiuat affectum, dico quod non meo proprio scio arbitratu, sed Patrum Conciliorumq; consilio; Episcopi ante omnes prima gloria Liberalitas est, prima virtus benè faciendi addicta necessitas. Hoc nomine illi, vltra omnes humanarum dignitatum apices constituti, præsunt populo vt prosint. Eo mysterio vt olim bis senum, Senum Collegium toti orbi Præsides habentur, vt Præsidiarij afflictis egentium gentium rebus succurrant. Eâ vi, potestatem soluendi ligandiq; stricta & soluta, in vitium proruentia, virtutemq; properantia bona ac mala facinora, vsitato imperijs ritu *Præmio Pænaq;* distinguunt, vt non furentes necis Domini, sed liberales vitæ largitores amentur. Eo denique instinctu, Domus habere iubentur, non canum, non vigilum, non armatorum armentis in custodia vallatas, sed hymnorum plausibus omnium aditu faciles: vt sint communia quædam hominum hospitia, publicæ aliquæ domus, domus omnium inuitatrices, dotatrices, ditatrices: *Laicus enim vnum, aut duos, aut paucos recipiens, impleuit hospitalitatis officium; Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.* Atqui ego ad fastidium vsque profusus notissimorum accuser æstimator, nisi illa omnia quæ dixi & etiam illis omnibus ampliora quæ non dixi, in vno vobis, & amplificem, & ostendam Nicolao: qui habet id ante omnes dignitatis, *vt exaratam in semetipso aureo Liberalitatis Pontificiæ stylo, Pontificum Ideā* circumferat, hinc penitus Sanctus, quia Liberalis. Cymonis Atheniensis: Au e-lijq; Imperatoris non hucusq; satis magnificè meminerunt Historiæ, quod Hic *tunicas viritim per populum dederit, frumentumq;*

 cum

cum vino partitus fuerit: ille *spolijs hostilibus locuples ea ciuibus suis distribuerit, amotisq; vndiq; agrorum suorum septis, vulgo, poma frugesq; sumendas dederit: præparauerit itidem ingens domi suæ conuiuium, quo vndique influentes pauperes vescerentur.* Magna hæc & ad miraculum orbis patrata, ego quoque libens admiror & veneror, cæterum eo cultu vt Diui nostri, liberalitati maximæ: minimè putem æqualia. Tribuerunt enim, illi subditis suis ciuibus tanquam post seu ipsi, seu per successores posteros repetituri beneficia: auctâ plebe, ipsi amplius augendi, locuplete locupletandi; D. Nicolaus, nullo aduentantium discrimine, nullo egentium delectu, quos potuerat, sustentabat. Illi profundebant, vt viderentur spe lucri, ambitu gloriæ, cupidine fastus; hic donabat nullo eorum respectu habito, tum demum felicitati suæ tribuens, cùm à nemine notaretur. Non ille cum Alexandro Seuero vacuas papyros, inanibus replebat catalogis, *quid alicui præstitisset in diem?* ambitiosa serie narraturas. Non ille cum Archelao rixarum tumultuumq; incentore, *petenti negandum, non cogitanti tribuendum beneficium, arbitrabatur.* Cuiq; liber ad eum patebat aditus, quæcunq; aliquis petijsset, semper ab eo impetrauit. Erat certum cuique asylum, ratum cuique receptaculum, gratum præsidium. Accurrebant ad sacros suos postes innumeræ numero cohortes, opem, opes, operam implorantes? annuebat, largiebatur, afferebat; Non accurrebant? ipse eas Consiliarius consolatorq; beneuolus, beneficus, accedebat. Replebant domum Orphani, Vidui, Peregrini infirmi, egeni, manci, debiles semiuiui? lætabatur, solabatur; Non aderant? ablatam sibi benè de DEO, quia in nomine potentis Dei, petentis pauperis occasionem, non sine luctu restitui precabatur. Circumcursitabant hinc, indé, à fronte, à tergo, è templis domum, hinc illac, reducem, aduenam? Angelos non homines ratus, reuerebatur, miseros intuitus, sustinebat, sustentabat; Non circuibant? quasi famulitio viduus incedebat. Haud maius existimabat volupe, quàm si egenti ægroto opem ferre, famelicum cibare,

bare, languidum fulcire, Scipio labentium potuiſſet. Diem plangebat qua de proprio aliquid pauperibus non diſtribuiſſet, palam accuſabat, ſi inopi palmas non aperuiſſet, negotium abhorrebat, ad quod prius quam ad pauperem manus extendiſſet. Taceo eius hic quia ſacri abundè ſatis tangunt Faſti, Zelum illum, quo ad vindicandas afflictorum iniurias, multo maiore ac in proprias ferebatur. Relinquo intactum Amorem illum, quo vltra omnes charitatis humanæ gradus, erga proximos æſtuabat. Mitto libens conſtantem dilectionis ardorem, à quo ſe, non Genus clarum alias & illuſtre: non dignitas omnium facile Princeps: non egeſtatis formido proximo interſtitio proxima : non opum blanditiæ, animoſiſſimarum quoque mentium deceptrices: ſed neutiquàm quidquam, à munifica largitione bonorum egentibus, poſt mortalitatis tyrannidem auellere potuerat Ibat quo in ætatem, eo in omnia illa firmior, felicior : nempe, ineunte annorũ vere in palæſtra Liberalitatis exercitus, in omnem ſæculorum ætatem, *Idea Pontificum* ſuſpiciendus. Qua Palæſtra? quæritis? ediſſero. Vixerat Viri eius temporibus Pataræ Patria ſua nobili, nobilis quidam, quam olim diues, tam interea afflictus, tum ideo quod à meliori fortuna in deteriorem, fatorum inclementiâ, concidiſſet, tum ideo quod trinas domi habuiſſet filias, quas fæderi dare maritali, & ætas adultior, & ſua vrgebat egeſtas. Quid ergo miſer ille faceret? vnicum aſſiduo cogitabat. Tandem vndiq; conſilij, vndique opum inops, venit in hanc inſanam ſententiam, vt proſtitueret primum, poſt elocaret puellas, ſi proſtibulo illo dos æqua, ſuæq́; ſuſtentationi reliquæ ex æquo reſpondiſſet. O ſcelus! ô portentum! quid contremuiſti anime! quid non vlciſcimini vindices malefactorũ cæli, in edicta Patrũ Prætorumq́;, in legem gentium & naturæ, in contumeliam Dei ac hominum patratum, peccatum! Expectatis fortè, vt conuertatur, & conuertat, ad cor contritum & humiliatum, ſemetipſum incentorem, ſuas metipſas incantatrices mali puellas, ſacrilegus? ſed inopia vrget, ſed ſtimulus incendit, ſuaptè natura ad

exitium prociduus, protrudens. An ſperatis auxilium aliquod è terris, quo ab immani eo deterreatur facinore temerarius? at illud, apud indigam, auaram, incredulam plebem, ſi implorans proret, plorans imploret, poſt ſynonima vocum, poſt eiulatuum tædia non impetrabit. Eia, excandeſcite iam candidi, candori virgineo, lilio innocentiæ, violæ caſtitatis, flori immaculati Agni, ſplendori veſtro vis infertur; vim vi propellere licet, propellite, ſcelus prohibete, iam vlciſcimini. Cælis verò hæc fabula ſurdis A. qui non modo non puniunt peccantem, peccaturas; verum etiam omnes incolumes ſeruant, vt vitæ, quæ vera eſt, donatore dotis Nicolao, intaminata holocaumata conſeruent. Nimirum Diuus ille, vt pneumate agnouit cælico, hoc, in vrbe illa, hoc domo in illa incendi ſcelus, clam noctu ipſe progreſſus, per feneſtratas ianuas, tantum illuc auri immiſit, quantum dotalitio illi oneri, trium elocandarum virginum ſuffeciſſet: patrem verò & illas à nefario vitæ inſtituto feliciter reuocauit. Quod dum ego intimius conſidero factum, & hinc ad eius dignitatem, indè ad temporis anguſtias, meamq; tenuitatem, oculos conuerto, accuſo me, qui non recenſuerim Prouinciam ſuſceptam, cenſendus omnium ore, ſi humanitas veſtra patiatur. Quanto enim anguſtior tempore & ingenio oratio mea? vt nec partem tam anguſtæ virtutis complecti poſſit, & non merito reliqua, vel potius aliqua venerabunda mentione percurrat, quàm diutiùs ceſpitans, ſub tanta magnitudine ſuccumbat. Te equidem Diue, nullæ panegyres ſatis panegyricè, nullæ laudes, ſatis laudabiliter, nullæ energiæ vocis, laterum, actioniſq; venuſtatibus firmatæ ſatis energicè prædicabunt; imo niſi amica Tua Liberalitas officium id, quod mortales Tibi debemus in ſe aſſumat, niſi Tua egregia facta libero ac liberali ore ſæculis proloquatur, Tu ab homine, quod id ipſe de tenuitate ſua nullatenus poſſit comparare; illaudatus es: laudatus abundè, non manebis. Quanquam illud, ipſa vt ſuſcipiat, rogare debet, non rogari, quàm excitâſti primus, quàm pari exemplo nullibi viſo, vltimus ſuo in

robore

robore firmam, ſua in forma liberalem, ſua in gloria perennem fouiſti, quam in procliui internecionis è faucibus coniuratorum fatorum eripuiſti. Felicem, felicem Te, qui vnà illâ omnem æternitatis memoriam tranſgrederis; at non minus & illam felicem, quæ Te vindice vltra ætates perennabit. Feliciorem Te felici illa, qui eius in Palæſtra lactis virtutum vberibus enutritus, puro auro, puram virginalem innocentiam ab Erebi damnationibus redimens, *aureo liberalitatis Pontificiæ ſtylo exaratam*, *Pontificum Ideam* in Te præſentas; feliciore Te, feliciorem illam, quæ Tibi toti aureo, toti gemmeo nixa, vna præ multis electa eſt, in Ideam Pontificum deriuari, quaſi omnium mater, magiſtra. Feliciſſimum Te, cui contigit munificentiæ munere & proprijs conſuluiſſe honoribus, & peccantium ſaluationi prouidiſſe; Feliciſſimam & illam, cui conceſſum in tantam gloriæ excreuiſſe magnitudinem, vt ſola putetur, quæ Sanctos faciat peccatores, & profuſa prouidè eoſdem cælorum annumeret voluptatibus. Tu & illa feciſtis, vt difficile acceſſu cælũ vno paſſu Liberales conſcendamus. Vos docuiſtis quemadmodum de mammona iniquitatis, noſtro non ſine commodo, noſtro non ſine ſolatio, amicos cælorum nobis lucremur. Vos monſtrâſtis primo exemplo: quod

Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amet Aſtra *potentius*
Ictu fulmineo.

Neſcio num in proſodicam non impegerim alicubi quantitatem. Criſim tamen haud vereor Orator non Poeta de eo dicens, qui Sanctus, vltra phyſicam quantitatem beneficia largiri, errorem non putabat. Et miremur inde Diuum hunc tantis virtutibus illuſtrem pro Idea Pontificum proponi? ſtupeamus gloriam eius, tota æternitate penſari, dignam qua æternitas menſuretur? qui totam ætatem quâ vixit: omnes annos, quos vixit: ad memoriam æternitatis, toti cælo & orbi ſpectandam reliquerit; qui compleuerit id vniuerſum, quod à multis vix cogitatum nouimus; qui eam digni-

 tatem,

tatem, quæ Pontificia ſit in epitomen fauſtam liberalitate reuocatam, & aſſequendi, & retinendi honeſtiſſimi eius oneris, oneroſiſſimi honoris locupletem ſubminiſtrat rationem. Volumus ab Epiſcopis ne illi extraordinario auſu anhelent eam dignitatem, precibus, pretijs, obſequijs, & quibus ego ſciam reliquis inſinuationum regularibus irreligioſiſq; regulis, per amicos, per ſemetipſos, inſtitui ſolitis abſtinendo, quaſi cælica cælitus potiundi.? En Idea Pontificum Nicolaus idem vult, in Epiſcopum diuinitus monſtratus, cùm non ſperâſſet, ne ſomniâſſet, concordi omnium aſſenſu electus. Requirimus ab illis, vt ſint Epiſcopi, quorum à nutu cætera viuentium plebs, ceu puſillus grex à boni Paſtoris conſilio, in ſpe vitæ ac ſalutis propendeat? En idem Idea eorundem requirit Nicolaus, creditum ſibi populum ſalutaribus præceptis exemplisq́ue, ad vitam & informans & confirmans. Vouemus, vt ſint Patres Patroniq́ue communes afflictorum, vt muneris ſui memores pacem ac tranquillitatem perpetuam orbi voueant, foueant, quo facilius plebs ſuſcipiat DEVM pacis? En vouet idem Idea Pontificum Nicolaus, vnicuique quod vniuſcuiuſque ius eſſet libenter tribuens. Denique poſtulamus, ab illis, vt ſint exemplaria quædam, ſpecula quædam & ſpeculæ, communi totius orbis intuitu ſpectandæ, vt ad eos qui bonus accurrerit, perfectionis ornamenta, qui malus acceſſerit correctionis optatæ præſidia ſortiatur, vt in eis legant afflicti ſolatia, egeni ſubſidia, inopes opem & opes, benè meriti affectum, idonei regno ac Eccleſiæ patrocinium, literæ promotionem, literati tutelam, deniq; omnis in compendio mundus, omnem qua egeat, quam imploret conſilij, conſolationis dulcedinem? En idem Idea Pontificum Nicolaus poſtulat poſtulauitq́ue, ideo Idea Pontificum, quod ſemetipſum prius benè recenſuerit in ea: quod ſemet illa aureo Pontificiæ Liberalitatis ſtylo exarauerit, exornauerit in illo, quod ab eo nemo non implorauerit, quod petijſſet, quod ille in ſpecula orbis, ſpeculum orbis eſſet toti viuentium ordini, quàm aſpectu pronum, tam affectu effectuque

ſalu-

ſalutare. Illa tamen omnia egit Nicolaus *liberalitatis vnius* beneficio, quæ totum poteſt quicquid orbis. Hæc eum in mari naufrago tutum, hæc in carcere hilarem, hæc domi tranquillum, hæc extra ſecurum, hæc vbique felicem Sanctúmque ſeruauit. ſcilicet potens pro libitu ſuo omnia, cum potente mercari DEO charitatis miniſtra, qui ante omnia hominis pretium appretiatus, ex amore eius in laboribus à iuuentute ſua, perditam, vt inueniret drachmā, pro homine factus homo negotiator induſtrius, omnia eius amori charitatique conceſſit; ſcilicet non inſcia illa, coemere hæc ſuo dominatui, quæcunque non ad ſuam, quæcunque non ad ſui Nicolai voluntatē, placitum, dignitatem agerentur. O Te verò Diuum Sanctum, ô Te Diuum aureum, qui aureo dono tantùm proficis, quantum infiniti vix cæpere. Lucraris eo perditarum ſalutem, amplificas Tuam, vincis DEVM, vinciris à DEO, omnia ad normam ſanctitatis propellis quæcunque illud poſt officium aggrederis. Sanè DEVS *tibi hæc otia fecit*, quæ pro DEO cum DEO inſtituis, quæ benefaciendo egenis, munificus elargiris. Cui verò aſſimilabo Te dilectum? Nolim Ethnicis: Nolim Plinio vel nomine ſuo Iuniori, Quintiliani filiam ab amorem egentioris parentis quinque millibus aureorum in matrimonium elocanti; Nolim reliquis, quos cæca ſuperſtionū magiſtra mentitur plures, quàm narrat antiquitas. Sanctimonia quippe Tua ne per vmbram in illis poteſt demonſtrari. Velim Catholicis, velim Sanctis, velim Pontificibus. At quibus illis? Hiſcene quibus prodromo Gregorio, ſemel Chriſtum poſt Angelum hoſpitio recipiente, non modo exteros ad cænam conuocandi, ſed per plateas & vicos etiam inquirendi ordinaria fuerat conſuetudo? Dignus es. Hiſcene, quibus cum Petro Archiepiſcopo Tarentaſio, domus, omni tempore xenodochium fuit pauperum, peregrinorum, demum omnium è penu quaſi aliquo, promptè, lautè paſcendorum? Dignus es. Hiſcene, quibus cum Carolo Borromeo cardine illo ſanctitatis Cardinali, manu propriâ egenos paſcendi, infirmos viſitandi, afflictis ſuccurrendi,

miſe-

miseros consolandi, locupletandi, prima voluptas erat? Dignus es. Nec enim illorum merita tanta sunt, vt à Te vno complexa, in Te vno non eniteat vniuersa; neque Tua fuit ea dignitas, vt non cesserit illis Virtutum in Ideam, quorum Tu in similitudinem concessisti. Cæterum permitte quoque comparatus antiquioribus, recentioribus exæquari: & Regni nostri peculiaris Patrone Mirensis Nicolae, Cracouiensi illi adoptari, cuius Tu iam consortiis frueris; nos in Ecclesia: *Elogio & Vita* paribus cum orbe famaque terminis coæquanda. In regno votiuâ illa Darij pro Zopyro suo prece: in Academia erga pauperem Cantium vltra Regiam Pontificia liberalitate æternis celebranda canticis, memoribus cantanda annalibus, gratissimi recreamur. Quæsitus hic *cur congestam pecuniam se viuo in ornamenta templorum, aut subsidia miserorum distribui non pateretur?* liberali ingenio subitò respondit. *Falli magnopere eos, qui me ingentem pecuniam congessisse existimant, cùm valde mediocris sit, si modernorum temporum æstimationem, auri nimium censentem priscâ consuetudine demas. Quam tamen non cupiditatis, aut auaritiæ causa asseruo, sed necessitatis Reipublicæ respectu habito diligenti. Quæ si (quod DEVS auetruncet) ab aliquo potenti hoste inopinatò opprimeretur, in repentina perturbatione omnium, posset facilè iuuari, priusquam contributiones indicerentur publicæ, aut hostis facto aliquo progressu maiorem audaciam sumeret. Ego,* inquit, *qui Pastor ouium curæ meæ commissarum sum, morbis & Senio iam confectus, vel fugâ salutem, vel deditione spontanea quærere haud possum, neque etiam liceret: conscripto autem aliquo milite de repente, gregem meum æque, ac meipsum pro posse defenderem, donec Respublica maiores vires & iustum exercitum collegisset. Quod si verò Numine Sancto à quouis periculo & motu Patriam nostram solito protegente, contigerit me tranquillis temporibus, vitam cum morte feliciter commutare, pecunia illa asseruata cedet pauperibus Deoq; dicatis locis.* Vti & factum est. Factum, factum sanè; Factum optimè. Fatentur id superstites hucusq;

egeni

egeni ſubſidio ſuo fulti, teſtantur pauperes Studioſi alimentis au-ćti, probant Diui indigetes auguſtiſſimis ornamentis donati, iurat Reſpublica ſubſidijs, non modò conſiliorum precumq́ue, at etiam facultatum firmata: muta denique marmora, muta ſaxa loquuntur, quodcunque illa tot in templis, tot in ſcholis, tot in aulis, ſuæ ſucceſſorumq́ue commoditati, ſumptu proprio excitatis, in ædificationem æternæ ſuæ domus coniurârunt. Iam verò noſter, de quo dicimus Nicolaus, quid ad hæc? gratam ſibi aſſentitur grati in cælo ſodalis repetitam memoriam, ſuſcipit ſimilitudinem, oſculatur. Vt enim ille veridico hoc ſuo reſponſo omnium votis reſpondit, ad miraculum vſq; omnium, liberalis, qua ſuperſtes, qua mortuus Eccleſiæ Regniq́ue, ac in ijs afflićtorum munificus amator; ita hic tota vita quod monſtrauimus, id vnicum egit, vt egentium vſibus prodeſſet. Vt ille nihil proprium arbitratus, quod Eccleſiæ eſſet, nulli proprio, nulli propinquo ante pauperes fauit, ita hic ſolos afflićtos eo pane fouebat. Vt deniq; ille ceu Myſta ſacris, ita ciuis Patriæ patrio more prouidebat, ſemper illi cõſilia, ſemper ſubſidia miniſtrans: ita hic eſto exterus Regno huic noſtro Patronus colitur, quicquid à ſe petiuerit, haud dubia fide largiturus. Atq; vtinam Tu quod nos de Te pollicemur, id nobis benignus concedas, vtinam Tu liberalis, liberali huic libertatis ac nobilitatis veræ domicilio, beneficus propitiator accedas. En Reſpublica hæc id à Te petit, en nos miſeri imploramus. Vide eius acciſas fortunas, & in priſtinum decorem quod potes & ſoles reuoca vniuerſas: Aſpice planćtus noſtros, & oculis aliquando deterge. Ecce virgo illa, totius orbis famulatrix Polonia proſtibulo paratur impiorum, ecce flos eius vltimũ vocatur in diſcrimen. TuTu ne verò permittes hoc in orbe facinus? Tu patieris non redemptam innocentiam eius, quam vno auro, auro modico puræ quietis, paciſq́ue optatæ facillimè queas vindicare? Tu non accedas auxiliator eius, vt immittas pretium reconciliationis eius, cum vindice malefaćtorum Numine faciendum? Eia in Te illa ſpes & vota iecit, ſuccurre ei,

& qui ſuperſtes olim tres Tribunos, è Conſtantini Auguſti carceribus ſtupendo prodigio euocâſti, muta illud miraculum in beneficium nobis ſalutare. Tres non Tribunos, ſed Tribus, ſeruili metu, motuque bellico oppreſſos, amiſſam nempe Ruſſiam, afflictam Lithuaniam, ſciſſam Poloniam vindicato. Da Te obſidem, da Te municipem pro omnibus his; quot Regnum iſtud habet penes ſe miſeros, apud hoſtem captiuos ciues. Impetra pacem orbi, huic Imperio. Auge ſecuritatem Eccleſiæ, dona fidelibus perſeuerantiam, infidelibus conuerſionem, denique vniuerſorum Patronus vniuerſorum animas, bona fortunas, religionem, vitam vtramque ab vtroque hoſte, & eius verſutiſſimis conatibus auſpicato tueare, DIXI.